

2743

C O D I C E S

2744

contemptu seculi transire ad amorem dei. De terrore morientis anime. De Beatitudine sempiterna celestis iberusalem. De Patientia. De Murmuratione. Quod vagatio multis occasio pereundi. De Predicatione. De Necessitate patiendi. Laus fidelium. De Militia christiana &c. Varia item rursus Collecta e PP. Conciliis, et Pontificum Epistolis nullo inter se nexu.

XI. fol. 197. calamo rudiore Excerpta de Libro V. VI. et VII. Originum Isidori Hispalens. et Liber V. quidem paene totus, subsequi duo carptim exscripti. Initium: *Moyse gentis hebreæ primus omnium diuinas leges explicuit &c.* Non inutile futurum Exemplar ad exactiorem Isidori promulgationem e collatione cum *Dubreuiliana Paris. 1601. f. instituta deprehendi.* Ita mox sub initium correctiora videntur *Lacedaemoniis pro Lacedaemonis. ob soluerunt pro exoleuerunt. hae (Leges) discrepant pro hac. Liberorum susceptio pro successio &c.*

DCCLVII.

²⁴⁷ Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 172. f. fat nitide per duas columnas exaratus est Collectio Sermonum diversi argumenti, quorum cum aliqui aperte nomen Clementis VI. Pont. qui prius Petrus Rogerius dictus et Monachus Casae Dei (Chaife — Dieu) O. S. B. fedem ab an. 1342. ad an. 1352. tenuit, praeferant; alii vero et tractandi methodo et filii ratione plurimum convenient,

non aberraturum a vero putem, qui paene universos eidem Clementi adscripserit. Atque id eo minus, quod reipsa extent Codices, qui Sermones Clementis complectuntur, ut videre est apud Baluzium in *Vit. Papat. Avenionens. T. I. p. 909. Oudinum T. III. col. 930. aliosque.* Sermones porro sacri in Cod. nostro contenti sunt numero XXXV. iique partim in Dominicas, partim in Festa Domini, B. V. atque Sanctorum. Primus inscribitur: *Sermo in aduentu domini dominica prima. Initium: Ecce rex tuus veniet tibi mansuetus. Math. XXI. et in ewangelio bodierno. Hugo li. de claustro anime dicit sic. Clemens et mansuetus dicitur animus &c.* Sermonis II. titulus est: *Alter sermo de aduentu domini dominica prima clementis pape, et Sermonis XIV. Sermo diei penthecostes factus per Clementem papam sextum pontificatus sui anno secundo. Ad calcem Serm. XVII. de corpore christi legitur: Expliciunt sermones de tempore. Modo incipiunt de sanctis. Incipit primo sermo de sancto Andrea apostolo. Thema: Proposito sibi gaudio sustinuit crucem &c.* Inter hos Sermones duo sunt de S. Thoma Aquinate, quorum posterior fol. 84. p. 2. non est Clementis VI. cum in eo dicatur mox sub initium: *Vnde clemens sextus de eo (Thoma) in quodam sermone sic ait. Sicut sol excedit stellam quia maioris est splendoris in claritate &c.*

Fol. 141. Sermones hos sacros excipiunt alii, qui temporum Histo-

2745.

H O M I L E T I C I.

2746

Historiam propius adtingunt. Ideo singulatim edifferendi. Et primus quidem minio inscribitur: *Collatio facta per Archiepiscopum Pragen.* Erat is *Arnestus de Pardubicz Pragensium* primus Archiepiscopus, cum decreto Electionis *Caroli IV.* post comitia *Rentii* 1346. celebrata a Principibus Electoribus splendida legatione *Avenionem* ad *Clementem VI.* missus, ut hic electionem confirmaret. Narrant rem *Odor. Raynaldus Annal. Eccl. T. XVI. ad b. a. p. 238. Bob. Balbinus de vita Arnesti L. II. c. 5. p. 115.* et audiendus prae ceteris *Benessius Krabice de Weitmil* Archiepiscopi in legatione comes, cujus *Chronici* verba excitat etiam *Tb. Job. Pessina* in *Phosphoro septic. Radio III. p. 188.* ubi vides ipsum *Collationis* s. sermonis nostri thema: *In te (Papa) oculi respiciunt totius Israel ut iudices eis quis sedere debeat in folio,* memorari. At vero *Sermonem* ipsum, *Clementisque* responsum nemo haecenus, quod quidem sciam, in publicum protulit, quanquam ad illustranda *Caroli IV.* Acta certe conferant. Ex priore itaque, dum integer edatur, unum alterumve locum hic decerpendum duxi. Postquam narraffet *Arnestus*, quomodo *Caroli* peracta fuerit electio, ita de illius genere profequitur: *dominum Jobannem digne memorie regem boemie illustrem patrem habuit, avum bone recolende memorie dominum Heinricum Romanorum imperatorem victoriosissimum, qui ex domo clarissimor. comitum Lucenburgen.*

Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

et ducum brabantie et limburgie, comitum flandrie, banonie kelne — processit; per lineam vero maternam ex serenissima regina boemie elizabet honestissima domina genitus est, que patrem excellentissimum principem dominum wenzeslaum regem boemie habuit, cuius pater erat Ottocarus potentissimus bohemorum rex, qui dux austrie Styrie carintie carniole — erat, cuius progenitores ex radice et stirpe beatissimi Wenczeslay patris bohemorum quondam ducis et patroni descenderunt &c. Postquam *Hermenegildi* iuvenis regis imitatore dixisset, haec de ejus meritis in ecclesiam: *Nouissime honorabile collegium canonicorum et clericorum secularium in honore omnium sanctorum in castro pragensi construxit, cui copiosissime in bonis, possessionibus — prouidit. In ecclesia uero nostra pragen. ministros quosdam, qui mansionarij sancte marie dicuntur, tam in numero personarum, quam in facultatibus rerum magnifice augmentauit et de nouo dotauit. Et nuper coronam regalem auream mira gemmarum uarietate circumdatam capiti sanctissimi Wenczeslai martiris imponendam valoris plurimum milium florenorum — donauit &c.* Demum de militari ejus virtute: *Eo* ad huc in tenera etate constituto bellum apud sanctum felicem in Lombardia personaliter interfuit, in quo et militatus est et gloriose triumphans. *Precedente* uero tempore patriam ab hostibus fortissime protexit. contra sarracenos (Paganos) in prussia pugnas strenuissimas et notabiles quam

Q

quam plurimas exercuit. Ecclesias oppressas de faucibus hostium viriliter sepiissime eripuit, ut inter cetera manifestum est, cum ecclesia aquilegen. opprimebatur grauiter a comitibus Goricie et quibusdam alijs molestatoribus et oppressoribus, ejusdem ven. pater dominus patriarcha aquilegen. (Bertrandus) qui nunc est, invocauit brachium adiutorii istius gloriosi electi, qui statim relictis omnibus personaliter venit et hostes fugauit &c. Sub finem rogatur Pontifex confirmationem celeriter impertiri: quia nouit S. V. quod aduersarius sancte sedis et tocius ysrael ille fraudis commenta (tor) petra scandali bauarus (Ludovicus) hereticus non dormit ymo quasi leo rugiens circuit quem deuoret &c. Pontifex, ut verbis Beneficii utar, quae habes cum apud Pessinam cit. tum in Cl. Dobneri Monum. Hist. Boem. T. IV. p. 30. die sequenti congregato sacro Collegio — resumpto eodem themate addidit, quod in textu Biblicae continetur: Si quis federe debeat super solium tuum. ostendens qualiter Imperium de Graecia per Sedem Apostolicam translatum fuit in Germanos; unde merito (Arneftus) dicere debuerat: super solium tuum, quod Reges et Imperatores Romanorum tam de jure, quam consuetudine jurare debent Sedi Apostolicae reverentiam, obedientiam et fidelitatem. Atque haec ex aevi sui sensu. Itaque

Fol. 142. p. 2. sequitur: Collatio facta per dominum Clementem papam sextum in approbatione Caroli in regem romanorum electi die

Lune VI. mensis Nouembris Anno domini M^o. CCC^o. XLVI. pontificatus nostri anno quinto. Neque prolixum hunc Sermonem, ut jam monui, in publicum haecenus prolatum putem. Incipit: Salomon sedebit super solium meum et ipse regnabit pro me, Illique precipiam, ut sit dux super Israel. 3. Reg. 1. Sicut audiuiſtis nuper (heri) per archiepiscopum pragensem proponendo negocium karissimi filij nostri karoli in regem romanorum electi &c. Per decursum instituitur Salomonem inter et Carolum comparatio, carpitur Ludovicus Bavarus, et potestas Pontificia in Reges mirum quantum extollitur. Ad calcem legitur: Verba autem approbacionis fuerunt hec. Ipsum declaramus denunciamus nominamus Regem Romanorum in Imperatorem annuente domino promouendum ipsius approbantes personam, decernimusque sibi debere impendi de manibus nostris consecrationem et vnctionem et imperiale dyadema loco et tempore opportunis, suppletes nichilominus de plenitudine potestatis omnem defectum, siquis forte in electione predicta interuenit siue ratione persone siue ratione electionis offerentes nos recipere fidelitatis nobis debite et obediencie cuiuslibet alterius iuramentum.

Fol. 150. Sequitur Collatio in erectione ciuitatis pragen. in metropolim et aliarum duarum Villarum in ciuitates vnus in bobemia alterius in byspania, quam ceperat rex castelle alphonsus vocata algisilla. Anno secundo pontificatus nostri vltima

2749

HOMILETICI

2750

tima die aprilis, i. e. 1344. non 1343. ut quidam scripsere. Vide Cl. Pelzelii vernaculam Caroli IV. Vitam Pragae 1780. 8. editam P. I. p. 123. qui tamen Collationis seu Praeconizationis, ut Romana loquitur curia, nostrae non meminit. Itaque nec hanc in publicum notam censeam. Inchoat eam Clemens, ut sequitur: Benedictione iustorum exaltabitur ciuitas. Prou. XI. Videtur mihi quod aliqua ciuitas, quantum ad situm spectat, dupliciter exaltatur &c. De Civitatibus porro ipsis sic: aliquas ciuitates die ista deliberauimus exaltare vnā scilicet pragen. in regno bohemiae clarioris splendoris radio et presidencie cumulo laureare uel honorare, duas alias scilicet Lutbesmuslen. in regno bohemiae hoc est dyoc. pragen. in qua erat solempnis abbatia ordinis premonstraten. (non igitur S. Benedicti, ut ait Matth. de Mechovia L. 4. c. 23.) Et algisillam (Algeziram) in regno hispanie in dyoc. — — — (Hispalensi, cui saltem dein, ut Metropoli, adtributa est) maioris honoris preconio et excellentie titulo decorare. Primam scilicet pragen. deliberauimus in metropolitanam et archiepiscopalem erigere et ipsam ab omni archiepiscopi subiectione et ecclesie Maguntine (cui tunc praeerat Henricus de Virnenburg Ludovici Bav. fautor) eximere et isti ecclesie immediate subicere et duos sibi concedere suffraganeos s. olmunczenff. in eodem regno et Lutbesmuslen. quam de nouo in kathedralem et episcopalem deliberauimus

erigendam et sibi certam et determinatam dyocesin assignare. Et in memoriam tante uictorie concessę christianis per ministerium karissimi filij mei alphonfi (XI) regis castelle illustris algisillam, quam diu obsessam tenuit et cooccupante dei gratia (26. Mart. 1344.) cepit, etiam in ciuitatem erigere — ut illius loci (ecclesia) que prius erat habitatio omnium demonum, in qua adorabatur ille perfidus machinatus, nunc eliminata ab ea omni spurcicia sabbato ante ramos palmarum in crastinum captionis ipsius fuit per archiepiscopum tolletanum (Gundifalvum de Aguilar) et ceteros prelatos assistentes in templum in honore beate Virginis consecrata, et hodie per nos in kathedralem ecclesiam erigatur &c. Rationes, quas pro Praga adducit, sunt: quia in bohemia messis quidem valde multiplicata, lingua ab alemanica distincta, provincia Maguntina valde dilatata et diffusa — — non parum adiecit maxima deuotio karoli primogeniti dicti regis bohemiae (Johannis) cuius deuotionis spiritum non debuimus extinguere, qui et de suo proprio large valde dare vult pro ampliore dote illius ecclesie. Agunt de hoc negotio, quod quidem Bohemiam concernit, Balbinus in vita Arnesti, L. II. c. 3. Pessina in Poesph. Radio III. p. 186. Pelzelius supracit. Raynaldus Annal. Eccl. T. XVI. ad an. 1344. et alii. Quod vero Algeziram spectat, idem Raynaldus eodem loco et Scriptorum Hispani ab eo adducti videri possunt. Baluzius in not.

Q 2

ad

2751

C O D I C E S

2752

ad Vitas Papar. Avenion. T. I. p. 876. quaedam e Collatione nostra profert.

Fol. 152. p. 2. Collatio in creatione immediate sequenti. Est vero haec Collatio Sermo prolixus a Clemente eodem habitus Avenione in consistorio a. 1344. dum Dominium Insularum Fortunatarum sive Canariarum una cum corona et sceptro conferret Ludovico ab Hispania Cerdano et Claromontano Comiti, quem Imbofius in Corp. Hist. Geneal. Ital. et Hisp. p. 367. nepotem Alphonfi Cerdani cognomento Exberedis dixit citato in rem suam Mariana, cum tamen hic Hist. L. XVI. c. 14. aperte Ludovicum Alphonfi hujus filium nominet. Possessionem Insularum nunquam adiit Princeps hic Fortuniae, ut illum in epist. a Raynaldo ad b. a. excitata compellat Clemens, sed exorto inter Anglos Gallosque bello in famosa Gallorum ad Cressiacum deletionem anno 1346. occubuit. Ad hac de re Thomae Walsinghami Chron. Ang. inter Camdeni Scriptt. Francof. 1603. p. 165. f. qui tamen Insulas nostras male in Mediterraneo collocat, et Raynaldi Hist. eccl. ad an. 1344. ubi leges Castellae, Lusitaniaeque Reges sat aegre in hoc Pontificis donum consensisse. Usus vero ille est, ut etiam Walsinghamus notavit, isthoc themate: Te faciam principem super gentem magnam. Num. 14. Sermonem vero sic est exorsus: Mibi videtur, quod aliquis in scriptura de nouo fit et constituitur princeps &c.

De Insulis multa fabulosa ex Isidoro et Speculo hist. Vincentii Bellovac. congeffit. Inter alia de Capraria nunc Palma dicta: ibi fuerunt cbristiani et abbates et monachi valde sancti, vnde beatus augustinus scribit epistolam ad eudoxium abbatem Insule caprarie. Quo loco manifestum est, non aliquam ex Canariis, sed Caprariam, hodie Cabrera, Balearibus aditam intelligi oportere. Rationes demum consilii sui, quas adfert, nemo sane hodie probabit: Patet ergo, quod in me est licet immerito auctoritatis et eminentie excellentia singularis; vnde ex potestate mihi data a Christo et reges et imperatores instituere et creare possim, sicut et predecessores nostri pluries fecisse leguntur. — Videtur etiam mihi, quod istam potestatem habeam — a concessione facta per Constantinum, qui dimisit Siluestro et eius successoribus totum imperium occidentis, sicut apparet in epistola Constantini, in qua etiam fit expressa mentio de insulis et dominus Bonifacius VIII. Papa Rogerio de Loria quasdam alias insulas infeudauit — Sed fatis! Extat Collatio haec inter Clementis Sermones in Cod. Archiep. Remensis, monente Cl. Baluzio in not. ad Vitas Papar. Avenion. T. I. p. 913.

Fol. 156. Collatio facta per sanctissimum patrem ac dominum nostrum dominum Clementem Papam sextum, quando fecit processus contra interfectores Andree regis Sycilie die preuia februarij pontificatus sui anno 4^o. i. e. 1346. Caedes

2753

HOMILETICI.

2754

des *Andreae* anno priore vergente contigit, nec levi infamia *Joannam* uxorem, mulierem viro- rum adpetentissimam, notavit, quanquam *Clemens* ad id caecuti- re videretur. Sententiam ejus in parricidas latam *kal. Febr. Raynaldus* ad *b. a.* Annalibus suis inferuit; de praevia vero Delibe- ratione nostra cum Coetu Cardi- naliū habita tacet. Verum *Baluzius* *supracit.* p. 860. loca quae- dam ex ea, et speciatim diram Regis necem depromit, unde ejus narrationi hic superfedeo. Autori praeterea *Secundae Clementis Vitae* a *Baluzio* *ibid.* publica- tae notum fuit Thema ejus; ita enim p. 270. scribit: *In ser- mone, quem super hoc luculentissi- me fecit, cujus Thema fuit: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, debitam compassionem et justam mentis turbationem ostendit. Ita vero orditur: Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Gen. 4°. Videtur quod auditur et exauditur vox clamantis et querelantis specialiter propter qua- tuor &c. De Andrea sic: Nos eum sublimaueramus in regem et voluera- mus tytulo regio insigniri et de nouo ipsum mandaueramus per episcopum carnoten. (Guilelmum) vna cum ka- rissima filia nostra Jobanna regina Sycillie consorte sua inungi et coro- nari. Ipse enim erat nobis non so- lum spiritualiter ymo et temporaliter immediate subiectus, Et ecce sperabamus futurum magnum eccle- sie defensorem, subito in ortu suo sicut flos decidit &c. Demum con- cludit: Vnde ne sanguis eius de*

*manibus meis exquiratur, processus super hoc de fratrum nostrorum con- silio — duximus ordinandos duo in genere continentes videlicet primo penas in genere contra tanti scele- ris patratores, Secundo continentes et sententias contra eos, qui sciunt, nisi reuelauerint cardinalibus, quos mittimus, infra certum tempus. Tercio cogitamus facere et ali- quos, quos per informacionem sus- pectos reperimus, ut personaliter cytarentur (et) comparerent coram nobis iusticiam recepturi &c. Sup- plicia sumta recenset *Raynaldus* ad an. 1346. n. 51. quae ut tunc evaserit *Jobanna* regina, ultorem non evasit *Carolus*, dictum *Par- vum*, *Dyrrbachinum*.*

Fol. 161. Sermo factus per *Sanctissimum patrem et dominum nostrum dominum Clementem* diui- na prouidentia papam *VI.* in cano- nizacione recolende memorie domini *yuonis beloy* (sive *Hallery*) pres- biteri *Trecoren. dyoc. pontificatus* sui anno *VI°.* Novit Sermonem hunc *Baluzius*, eumque excerptit in *not. ad Vitas Papar. Aven. T. I. p. 881.* Norunt et Hagiogra- phi *Antverp.* ex *Cod.* sibi dono dato a *Jacobo Dineto S. J.* Fran- ciae tunc Praep. Provinciali, ut videre est *T. IV. Maji p. 578.* ubi tota Canonizationis formula, in quam Sermo desinit, legitur. Sermonem porro ipsum gallice versum exhibet *Albertus le Grand O. P.* in opere inscripto: *La Vie, gestes, mort et miracles des Saints de la Bretagne Armerique &c. Nannetis 1637. 4.* Itaque non nisi principium ejus adscri- bam,

Q 3

2755

C O D I C E S

2756

bam, quo ab aliis *Collationibus* in eodem negotio habitis dignoscatur. *Exulta et lauda habitatio syon, quia magnus in medio tui sanctus ysrael. ysaie XII^o. Felicis recordationis dominus J.* (Iohannes) *papa XXII. predecessor noster volens inducere ad exultationem et gaudium, laudem et iubulum ecclesiam militantem super adempta gloria domini yuonis beloy presbiteri Trecorensis ecclesie &c.* Iam enim apud hunc *Joannem de Ivone* Coelitibus inscribendo egerant *Britanni.*

Ex indice ad *Cod. calcem* adjecto deprehenditur, *Collationes duas* ab eodem avulsas fuisse. Primae titulus est: *Contra archiepiscopum Maguntinen. Filius noster iste proteruus &c.* Alterius: *In deposicione eiusdem Archiepiscopi. Cum iudicatur exeat condempnatus &c.* Utraque fuit in saepe memorato *Cod. Remensi*, ut ex *Baluzii notis ad Vit. Papar. Aven. p. 863.* observo. Archiepiscopus is, ut jam dictum, *Henricus* erat *Virnenbergius* assecla *Ludovici Bavari.* Latas in eum annis 1343. et 46. sententias a *Clemente*, qui illi *Gerlacum Nassovium* substituit, recitat *Od. Raynaldus* in *Annal. eccl.* neque tamen *Collationum* praevariarum meminit, uti nec *Nic. Serarius* in *Reb. Mogunt.* Codicem intus utrinque munit membrana continens *Kaimundi Isenward Sacristae Eccl. Avenion.* insinuationem literarum *Clementis VI.* in quibus *postulato Caroli Rom. Regis* mandatur *Gerungo de Pirbo* um clerico *Pata. Dioec.* provide-

ri de beneficio, cuius collatio vel praesentatio spectat ad *Abbatem* et *monasterium O. S. B. in Mansée* (alias *Lunaelacense Auftr. super.*) *Pata. Dioec.* factam *Episcopo Patauiensi*, et memorato *Abbati*, amputatis tamen in fine notis chronologicis. Confer *Cod. seq.*

DCCLVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 33^a XIV. Folior. nunc 161. f. est enim principio mutilus, per duas columnas currente calamo exaratus, rubricisque notatus continet *Petri Rogerii Lemovicenf.* ex *Monacho O. S. B. Archiepiscopi Rotbomag.* et tandem sub *Clementis VI.* nomine *Rom. Pontificis*, qui sedem ab an. 1342. ad an. 1352. tenuit, et *Aliorum* quorundam *Sermones Sacros*, quos, ut *Cod. praeced.* non tam materiae, quam *Historiae lit. caussa* ordine indicabimus a *Secundo* exorfi, cum *Primi* exordium desit. *Sermo eiusdem magistri palacij sacri factus in die beatissimi Michaelis.* In illud: *Angelis suis mandavit &c. Beatus Bernardus in sermone de angelis &c.*

II. fol. 5. p. 2. *Sermo Sancti Vincencij per procuratorem ordinis minorum.* In illud: *Exiit vincens ut vinceret &c. Consuetudo fuit laudabilis in palacijs &c.*

III. fol. 8. p. 2. *Alius Sermo de sancto Vincencio per generalem Ministrum minorum.* In idem Thema. *Secundum philosophum res que est in proxima potentia ad actum &c.*